



Q·SEPTIMI FLOREN

T I S T E R T V L L I A N I,

D E M O N O G A M I A,

L I B E R.



HAERETICI nuptias auferunt, Physici ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt. quid agis lex creatoris? inter alienos spadones & aurigas tuos tantūdem quereris de domestico obsequio, quā- tum de fastidio extraneo. Proinde te lædunt qui abutuntur, quēadmodum qui non utuntur. uerū neq; continentia eiusmodi laudanda, quia hæreti- ca est, neq; licentia defendenda, quia Physica est. Illa blasphematur, ista luxuriatur. illa destruit nuptiarum deum, ista confundit. Penes nos autem quos spiritales merito dici facit spiritualium charismatum continentia religiosa est, cum licentia uerecunda, uerecūda continentia, am- bæ cum creatore sunt. Continentia legem nuptiarum honorat, licentia tem- perat. illa non cogitur, ista regitur. illa arbitrium habet, hæc modum. unum matrimonium nouimus, sicut unum deum. Magis honorem refert lex nu- ptiarum ubi habet & pudorem. Sed Physicis nō recipientibus spiritū, ea quæ sunt spiritus non placent. ita quæ sunt spiritus nō placent ea quæ sunt carnis placebunt contraria spiritus. Caro, inquit, aduersus spiritū cōcupiscit, & spiritus aduersus carnem. Quid autem cōcupiscet caro quāquam quæ magis carnis sunt? Propter quod & in primordio extranea spiritus facta est, Non inquit permanebit spiritus meus in istis hominibus in aū, eo quod caro sint. Itaq; monogamiæ disciplinā in hæresim exprobant. nec ulla magis ex causa paracletum negare coguntur, quā dum existimant nouæ disciplinæ institutorem, & quidem dirissimæ illis, ut iam de hoc primum cōsistendū sit ut generali retractatu, an capiat paracletū aliquid tale docuisse, quod aut nouum deputari possit, aduersus Catholicam traditionem, aut onerosum aduersus leuem sarcinam. De utroq; autem ipse dominus pronunciauit: di- cens enim adhuc multa habeo quæ loquar ad uos, sed nondū potestis por- tare ea, cum uenerit spiritus sanctus ille uos ducet in omnem ueritatem. Sa- tis utiq; prædicit ea acturum illum quæ & noua existimari possint, ut nū- quam retro ædita, & aliquanto onerosa ut idcirco non ædita. Ergo, inquis, hac argumentatione quid uis nouum & onerosum paraceto adscribi po- terit